

catus est, latinum esse A, cuius media linea evanuerit. Observavit etiam *Montfauconius* alicubi D et R latinorum, quarum literarum sane alia est forma apud graecos. Neque mirandum, quod duo hi testes oculati in legendo illo codice tantopere discreparint, cum ob vetustatem in eo literae ita corrosae et exesae sint, ut satis distingui et expedite legi nequeant; prout *Cornelius a Lap.* loc. cit., aliique testantur. Certe ipse *Montfaucon* fatetur, nullum se alium vetustiorum codicum unquam vidisse, nullas habentem vocum distinctiones, agglutinari autem adeo eius folia humiditate et situ, ut ne separari quidem possint. Quadratum est manuscriptum hoc, cuius papyrus marcescentium folio-

rum colorem exhibet. Denique hombycinum esse hunc codicem, nemo ultra ambigit post sedulam illius inspectionem factam a *dom. Scipione Maffeo*, teste earum rerum maxime idoneo. Haec eruditionis causa commemoranda censui, ultimatum iudicium erudito lectori relinquens. Plura de eodem codice referunt *Calmetus* (1), aliique citati auctores.

Atque haec de evangelii generatione spectatis interim dicta sufficiant. Alias autem difficultates, aut incredulorum contra IV. sancta evangelia in communi considerata obiectiones solvit cl. *Hermann Goldhagen* (2), vel nos ipsi in decursu huius operis discutiemus.

## SECTIO II.

### DE DIVINITATE CHRISTI EX EVANGELIO DEMONSTRATA

Cum deistae, aliique christianae religionis hostes, negando et pernegando Christi divinitatem, totum christianismum subruere ac funditus evertere allaborent; operae pretium erit, primum hoc dogma nostrae religionis in solutione sequentium quaestionum prius stabilire, antequam ad confutanda alia incredulorum dicta et blasphemias contra sancta quatuor evangelia progrediamur.

20. QUÆRES I. *An historia evangelica de vita, gestisque Christi Domini sit moraliter certa, ut adeo eam nemo prudenter in dubium vocare possit?* R. Affirmative. Nam ita argumentor (3): Historia evangelica

(1) Praefat. in comment. evang. s. *Marci*.

(2) Introd. in s. Script. p. 3, n. 6, et seqq.

(3) Idem argumentum etiam alii theo-

vitae gestorumque Christi pares, imo firmiores veritatis characteres habet, quam quaevis alia profana historia, si consideremus, *quinam et quid* scripserint de Christo, *quando et quo fine ac animo* scripserint, et *quo illis repugnante vel credente*. Si ergo non possumus reicere historias profanas pro indubitatis communiter habitas, v. g. annales graecorum et romanorum; multo minus prudenter dubitare possumus de veritate historiae evangelicae vitae gestorumque Christi. Cons. patet. Antec. prob. dictos characteres enumerando. I. Scripserunt historiam evang. vitae gestorumque Christi testes, et alii quidem de visu, ut

logi ad veritatem historiae evang. de vita gestisque Christi demonstrandam adhibent, illudque cl. *Josephus Widman* tom. 1. Institut. theol. c. 1, art. 4, § 31, summam refert.

*Matthaeus* et *Ioannes*, alii autem de certo auditu, ut *Marcus* et *Lucas*; adeoque de rebus, quarum ipsimet fuerunt TESTES OCVLATI ET AURITI. II. Scripserunt, quae PALAM GESTA, et OMNIBUS NOTA ERANT etc. III. Scripserunt STATIM POST MORTEM CHRISTI, cum in recenti adhuc memoria versaretur vita illius: proinde si falsum dixissent, illico potuissent de falsitate convinci. Ex. gr. si ea, quae s. *Matthaeus* tribus vel quatuor annis post mortem Christi scripsit de Bethlemitico infanticidio *Herodis* et secuta inde fuga Christi in Aegyptum, eiusque reditu post *Herodis* mortem, et commoratione in Nazareth ex metu *Archelai*, qui erat *Herodis* filius (1) etc., si, inquam. s. *Matthaeus* haec confinxisset. num. quid non omnes hierosolymitani. bethlemitae. nazaraei 50 aut 60 annos nati, praesertim pharisaei et scribae mendacium ei exprobrassent? IV. Scripserunt SOLO VERITATIS AMORE. Nulla enim hic potest esse suspicio de malitia, fallendi animo, aut commodi acquirendi spe, cum manifeste praeviderent aliud se lucrum ex scriptione et praedicatione sua ab obstinatis iudaeis et gentibus haud relatuuros, nisi supplicia et mortem. V. Scripserunt STYLO SIMPLICI SINE FUCO, et tantum abfuit, ut quidquam dissimularent, ut vel IPSAS CHRISTI INFIRMITATES HUMANAS, taedium, agoniam, mortem exprimerent. Sic ex. gr. s. *Lucas* (2) simpliciter ait: *Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo, ut interficerentur. Et postquam venerunt in locum, qui vocatur Calvariae, ibi crucifixerunt eum; et latrones, unum a dextris et alterum a sinistris.* En! non dissimulat evangelista genus et circumstantias mortis Christi maxime probrosas, sed sincero et

simplici stylo easdem narrat. Unde *Eusebius* (3) rectissime inquit: *Si enim hoc illis (nempe apostolis et evangelistis)... propositum fuit, ut mendaciis suum praeceptorem ornarent, cur illi ea, quae modo diximus, adscripserunt?* (dixerat autem antea *Eusebius*, quae evangelistae de Christi passione tradiderunt), *aut cur posteris indicarunt, et quod tristis fuerit, et taedio affectus, et animo turbatus? aut quod ipsi (discipuli) illum deseruerint, atque abierint? aut quod, qui omnibus ipsis praepositus fuerat, apostolus illius, et discipulus Petrus... ter illum abiuraverit? etc.* Et *Origenes* contra *Celsum* (4) sinceritatem et simplicitatem styli, qua evangelistae in scribendo usi sunt, dilaudat his verbis: *Opinor... Iesum ideo voluisse uti talibus dogmatum suorum doctoribus (evangelistis), ne quem locum haberet suspicio, quasi artibus essent instructi sophisticis, sed evidenter intelligi posset, nihil fuci latuisse in animo tanta simplicitate scribentium etc.* VI. Scripserunt NEMINE IPSIS REPUGNANTE, seu reprehendente, quod falsa scriberent. Imo ne ipsi quidem postea haeretici, dum argumentis ex evangelio petitis refellerentur, eo scuto se defenderunt, quod historia evangelica fide digna haud esset, sed relicta huic auctoritate, ad alias responsiones et effugia sese converterunt; prout theologis, aliisque rerum polemicarum peritis notum est. VII. Scripserunt, quae etiam consequentium deinceps aetatum auctoritate confirmata, nusquam interrupta serie traditionis, ad nostra usque tempora promanarunt; nam his testimoniis evangelistarum postea crediderunt innumeri viri, ac sapientissimi post summam diligentiam adhibitam (quales viri

(1) *Matth.* c. 2, v. 16, usque ad c. 5.

(2) *Luc.* c. 25, v. 52 et 53.

(3) *Evang. demonstrat.* l. 3.

(4) *Contra Celsum*, l. 5.

praecipue fuere ss. patres), multaque illorum eam historiam fuso etiam sanguine consignarunt. Spectatis igitur tot ac tantis veritatis characteribus, historia evangelica vitae gestorumque Christi moraliter certa est, nullusque illam prudenter in dubium revocare potest.

ARGUMENTA CONTRARIA  
INCREdulorum

21. OBJECTIONES, quae contra veritatem historiae evangelicae ex *Spinozae, Blountii, Hobbesii, Tolandi, Collinsii*, atque *Woolstoni* etc. operibus peti possunt, eo tendunt, ut lectoribus persuadeant, ab evangelistis Christum plus aequo laudari; ab eo miracula facta fuisse, confingi; sub nitore verborum occultari mendacia; ea quae evangelistae contigisse tradunt, ab iis minute referri, iisdemque fidem adhibendam non esse, quia Christi amici erant; tandem historiam evangelicam ob nimis longam remotiorem temporum, quae ea scripta est, multam de sua verisimilitudine aut saltem certitudine perdidisse.

Verum, quamvis his omnibus necesse non sit, ut aliqua respondeamus, cum ex supra (1) dictis unicuique per se constare possit, sola libidine calumniandi haec ab incredulis contra veritatem evangelicae historiae nobis obiici, prout cl. *Thomas Cerboni* (2) recte observat; tamen nonnulla alia nunc superaddere iuvat, ut semper magis magisque pateat, quae opponunt increduli nostri temporis fere omnia ab ethnicis priorum temporum fuisse mutuatos. Haec vero de causa adhuc alia *Eusebii* et *Origenis* testimonia proferemus, quibus a primis iam

(1) Vide praecedentem n. 20.

(2) Theol. revelat. l. 3, q. 2, art. 5.

(3) *Eusebius* Caesariensis, qui Evangelicae demonstrationis opus composuit, erat

ecclesiae seculis (3) confutata fuere, quae isti nostri philosophi iterum in medium proferre non erubescunt. Refutans ergo *Eusebius* (4) eos qui non credunt apostolis et evangelistis admirabiles Christi Domini res gestas narrantibus, inter alia ita ait: *Qui vero tales viros* (puta apostolos et evangelistas) *fictionibus usos ac mentitos putant, et tanquam impostores infamia, probrisque notare conantur, cur non ipsi potius et ridiculi sunt, et odio invidiaque digni tanquam omnis veritatis inimici habentur? qui quidem viros tam ab omni malitia alienos, tamque sine fuco, vereque sincerum animum in suis scriptis praeseferentes, malitiosos quosdam et callidos audent fingere sophistas, tanquam eos, qui quicquid scripserint, commenti sint, et suo praeceptorum, quae ille nunquam fecerit, ad gratiam tribuerint? Sane commode mihi dictum videtur: aut prorsus credere oportet Iesu discipulis, si reliquis quoque scriptoribus; aut si non his, ne reliquis quidem. Cur enim, si solis his viris detrahenda sit fides, non etiam reliquis omnibus, quicumque unquam aut apud graecos, aut apud barbaros, vitas aut orationes, aut commentaria conscripserunt eorum, qui variis temporibus in aliquo genere virtutis atque officii praestiterint? Aut si dicis aliis quidem credere aequum esse, at his solis non credere: cur non hoc plane ad invidiam referatur? Quodsi demus illos de praeceptore fuisse mentitos, et quae ille nunquam fecerit, scriptis suis complexos, num etiam de iis mentitos, quae idem passus est, dare possumus? Dico autem de unius ex discipulis proditioe. . . . de contumeliis,*

scriptor saeculi iv sub Constantino imperatore, et Constantio, *Origenes* vero iam saeculo iii scripsit.

(4) *Evang. Demonstrat. l. 3.*

*de ictibus in facie, flagellisque in tergo: de corona spinea. . . de arundinetis, qua illius tempora percussere: de convitiis, quae in illum a spectantibus iactata sunt? At enim et haec, et quaecumque alia de illo his similia feruntur, aut ficta esse oportet ab illius discipulis, aut in his quidem tanquam verissimis, illis credendum est, in reliquis vero, quae clariorem illum venerabiliorumque reddunt, non credendum. Sed haec de iisdem sibi ipsi contraria opinio unde confirmabitur? Dicere enim eosdem de eodem, et vere proderet, et mentiri, nihil aliud est nisi contraria in eodem de iisdem rebus dicere. Quomodo haec refellentur?*

Iam vero increduli opponunt et aiunt, ab evangelistis res gestas imperfecte diminuteque referri, satis produnt, se amplius non habere, quo confugiant. Quod enim evangelistis propositum et a Deo inspiratum erat, integre exponunt, omitunt vero ea, quae ad sui instituti rationem nihil intererant, aut a Deo, ut scriberent, inspirata non erant.

Porro falsum omnino est, quod evangelistae sub nitore verborum occultent mendacia. Ut enim supra (1) abunde ostensum est, ii non id sibi constituerunt, ut vel elegantia sermonis, vel ornatu figurarum, vel apparatu aut pompa verborum legentium animos sibi conciliarent, quo facilius eorum quae referebant fidem illis persuaderent, sed nuda rei veritate contenti, cum summa simplicitate res, quas Christus gessit vel passus est, enarrarunt. Audiamus iterum *Origenem* (2) hac de re contra *Celsum* hunc in modum loquentem: *Qui prudenter et candide res ab apostolis* (idem etiam de evan-

gelistis *Marco* et *Luca* intelligendum est) *Iesu gestas possunt examinare, his manifestum fiet, hos divina virtute roboratos fuisse oportere, ut edocerent christianam religionem et homines verbo Dei subicerent. Non eis secundum artes graecorum dialecticas, aut rhetoricas, dicendi facultas, et disserendi ratio inerat, qua auditores sibi conciliarent. . . . Si Iesus elegisset doctrinae suae ministros. . . qui multorum opinione sapientes habentur, aut cogitandi subtilitate, aut sermonis facundia multitudinis plausus captare possunt, iusta meo quidem iudicio suspicio fuisset, simili eum ratione atque via usum fuisse, qua philosophi sectae cuiuspiam auctores usi sunt, neque quod promissum est de doctrinae eius divinitate, videretur adimpletum. . . . Nunc autem equis est, qui, cum videat piscatores et publicanos, vel primorum elementorum imperitos (et ipse *Celsus* hac parte libenter credit de eorum imperitia) confidenter de fide Iesu adiungenda non modo apud iudaeos disputare, sed etiam apud reliquas gentes prospere Iesum annuntiare, non quaesierit, unde illis esset persuadendi facultas? neque enim erat vulgaris. Equis non dixerit Iesum in apostolis divina quadam virtute consequutum fuisse, quod his promiserat verbis (3): VENITE POST ME, ET FACIAM VOS FIERI PISCATORES HOMINUM?*

Licet ergo arcissimo amicitiae vinculo cum Christo essent apostoli coniuncti, et similiter *Marcus* et *Lucas* evangelistae maximo in eum amore ferrentur; tamen ideo iis fides nequaquam est deneganda. Nimis enim multa sunt, ut modo etiam ex *Eusebio* et *Origene* audivimus, quae ne levissime quidem suspicari

(1) Recole dicta hoc, et praecedente numero.

(2) L. 4 contra *Celsum*.

(3) *Matth. c. 4, v. 19.*

quemquam patiuntur, a sanctissimis viris (apostolis nempe ac evangelistis) nos fuisse deceptos.

Tandem ad id, quod increduli opponunt de remotione longi retro temporis, quo gesta Christi contigisse dicuntur, et ab evangelistis enarrata sunt, non est cur hic aliqua contra reponamus: satis enim hac de re supra (1) diximus.

SCHOLION. Caeteras incredulorum obiectiones contra veritatem historiae evangelicae solvemus tum in sequente quaest. II, tum in variis aliis locis (2) per decursum huius operis.

22. QUÆRES II. *An, aut cur scriptores ethnici et iudaei de historia evangelica, et praesertim de vita, gestisque Christi Domini sileant?* Antequam respondeam observo hac quaestione contineri praecipuam obiectionem *Voltairii*, aliorumque incredulorum contra veritatem historiae evangelicae. Nam hi ita OPPONUNT: Si in Palaestina, quae tunc erat romani imperii provincia, Christus tot ac tanta patrasset mirabilia, prout evangelistae narrant, haud dubie eorundem gestorum notitia ad imperatorem, senatum, Romamque universam perlata fuisset; romani scriptores, graeci et latini de Christo eiusque stupendis operibus mentionem fecissent: idem etiam fecissent scriptores iudaei, *Philo alexandrinus*, et *Iosephus iudaeus*, qui circa illa tempora floruerunt. Sed apud hos omnes aut ferme omnes altum de Christo silentium notatur: ergo.

Verum R. I. et inverto argumentum: Si evangelistae de Christo eiusque mirabilibus gestis tam enormia mendacia, ut increduli aiunt, sparsissent, haud dubie alii illorum temporum scriptores (maxime gentiles

(1) Vide supra n. 8 ad tertium, et n. 9, q. 4.

et iudaei christianae religionis acerrimi osores) eos falsitatis et mendaciorum arguissent: sed id factum non est, manifesto indicio, evangelistae non falsa sed vera scripsisse. CONFIRM. Nullus negare potest, apologetas christianae religionis in iis scriptis, quae in defensionem eius evulgarunt, gestorum Iesu Christi ab evangelistis commemoratorum mentionem saepe fecisse. Ethnici autem et iudaei tantum abfuit, ut ea falsa et ab evangelistis conficta esse reposerint, ut potius vel rei veritate convicti suo silentio iisdem se assecurari demonstrarent, vel quum alia ratione se tueri non possent, mira illa Christi opera magicis artibus adscriberent. Hoc autem eo magis mirandum est, quo clarius patet, ethnicos et iudaeos completam supra suos adversarios (puta christianos) victoriam reportaturos fuisse, si eos de falsitate historiae evangelicae convincere potuissent. Quapropter cum silentium maximam viam ad persuadendum tunc habeat, quando gravis urgensque causa impellebat, ut aliqui ea de re, quam omnino tacuerunt, verba facerent; cumque iuxta erroneam ethnicorum et pertinacium iudaeorum persuasionem vix gravior urgentiorque causa occurrere potuisset, ob quam falsa esse demonstrant, quae ab evangelistis de Christo praedicabantur, evidentissimo argumento est, ethnicos et iudaeos de historia evangelica vitae gestorumque Christi silentes, de horum veritate fuisse omnino convictos, adeoque ex illo ipso eorundem silentio (siquidem illud daretur) evangelicae historiae veritatem apertissime elucescere.

23. R. II. Falsum est, quod inter gentiles et iudaeos nullus fuerit, qui de Christo eiusque vita et gestis in

(2) Id patebit legenti sect. 5, et seqq.

evangelio enarratis scripserit. Nam *CHALCIDIUS* philosophus platonicus (1) in suo commentario ad *Timaeum Platonis* haec habet: *Est quoque sanctior et venerabilior historia quae perhibet, ortu stellae cuiusdam non morbos mortisque denunciatae, sed descensum Dei venerabilis ad humanae conservationis rerumque mortuorum gratiam: quam stellam quum nocturno itinere inspexissent chaldaeorum pro, ecto sapientes viri, et consideratione rerum coelestium satis exercitati, quaesisse dicuntur recentem ortum Dei, repertaque illa maiestate puerili, veneratos esse, et vota Deo tantum convenientia nuncupasse.* Quae ergo de stella praeunte magos, eorumque adventu ad Deum infantem, seu Christum natum debito cultu prosequendum in evangelica historia leguntur, *Chalchidius*, qui quarti seculi initio floruit, suo suffragio comprobavit; quamvis teste lexico univers. Lips. (ut ante dixi) non omnes conveniant quod is fuerit ethnicus. Similiter *Phlegon* libertus *Neronis* seculo secundo post datum testimonium de Christo tanquam vero propheta, praesertim ob excidium Hierosolymae ab ipso praedictum et iam impletum meminit extraordinariae eclipsis solaris anno quarto olympiadis ducentesimae secundae, qui annus respondet anno mortis Christi, et decimo octavo *Tiberii* imperantis. Verba *Phlegontis* (2) sunt: *Quarto autem anno 202 olympiadis maxima et excellens inter omnes quae ante eam acciderant defectio solis facta: dies hora*

*secta in tenebrosam noctem versus, ut stellae in coelo visae sint, terraeque motus in Bythinia Nicaeae urbis multas aedes subvertit.* Scio quidem a *Baelio* (3) multa opponi contra hoc testimonium *Phlegontis*; verum quum iis alii abunde satisfecerint, aliunde vero narrationem *Phlegontis* veram esse constet, non est cur in iisdem confutandis diutius nos detineamus. Nam idem eventus in annualibus quoque romanis fuit consignatus, uti testatur *Tertullianus*, magistratui romano palam affirmans (4) his verbis: *Eodem momento dies, medium orbem signante sole, subducta est. . . . Eum mundi casum relatum in archivis vestris habetis.* Et (*trigenes*) (5) ait: *De solis autem defectione, quae accidit sub Tiberio Caesare, quo imperante Christum crucifixum esse constat, deque motibus, quae tunc terra succussa est, Phlegontem opinor in 13 vel 14 chronicorum libro iniecisse mentionem.* Unde et *Lucianus* presbyter atque martyr, uti *Ruffinus* (6) tradit, ad suos iudices dixit confidenter: *Consulite annales vestros: invenietis Pilati temporibus, dum pateretur Christus, media die fugatum solem, et interruptam diem.* Praeterea, quod de caede infantium, iubente *Herode*, in evangelica historia legitur, est etiam *Macrobii* testimonio confirmatum, qui ita (7) inquit: *Cum audisset (imperator Augustus) inter pueros quos in Syria rex iudaeorum intra bimatum iussit interfici, filium quoque eius occisum, ait: melius est Herodis*

(1) Quamvis teste lexico universal. lipsiens. tom. 5, pag. 1944, aliqui *Chalchidius* dicant fuisse archidiaconum ecclesiae carthaginensis, et Cave histor. liter. pag. 406, indecisum relinquat, utrum *Chalchidius* fuerit ethnicus, an christianus; tamen alii, *Thomas Carboni*, *Herman Goldhagen*, etc. eum simpliciter inter gentiles numerant.

(2) L. 13 in celebri historia olympiadum, cuius fragmenta restant.

(3) In suo dictionario art. *Phlegon*, adnotatione 100.

(4) *Apologetici* c. 1, n. 6.

(5) L. 2 contra *Celsum*, n. 33.

(6) *Histor. eccles.* l. 9, c. 6.

(7) L. 2, *Saturnaliorum*, c. 4.

porcum esse, quam suum. Quae autem Collinsius contra hoc Macrobianum testimonium opponit, soluta facilia sunt. Nam quod superaddit (Collinsius), ait cl. Thomas Cerboni (1)... Macrobianum testem esse non posse quae quatuor seculis ante ipsum contigerant, et fortasse christianum fuisse, nullius momenti est, quandoquidem Macrobius non narrat quae viderat, sed quae legerat apud auctores. Ethnicum autem (Macrobianum) fuisse constat, cum affirmet se adorare Ianum et colere lunam. Ceterum de infanticidio Herodis et de stella a magis visa, aliisque factis particularibus in historia evangelica contentis, alibi (2) sermo redibit. Denique quod attinet ad Christi miracula ab evangelistis commemorata, ea suffragio ethnicorum quoque PORPHYRII, CELSI etc. confirmata fuisse, pariter alio loco (3) indicabitur.

His gentilium testimoniis addo omni iure etiam testimonium eorum, qui olim ethnici philosophi, postea autem ad Christum conversi sunt. Omissis aliis, unicum audiamus QUADRATUM, qui teste Eusebio (4) in ea oratione, quam in defensionem christianae religionis Aelio Hadriano obtulit ita ait: *Servatoris autem nostri opera semper conspicua erant, quippe quae vera essent: ut scilicet, qui morbis liberati, aut qui ex morte ad vitam revocati fuerant. Qui quidem non solum dum sanabantur conspecti sunt ab omnibus, sed secuto deinceps tempore. Nec solum quamdiu in terris moratus est Servator noster, verum etiam post eius discessum diu superstites fuerunt, adeo ut nonnulli eo-*

(1) Theologiae revelat. l. 5, q. 2, a. 6.

(2) Vide infra n. 175-179.

(3) Vide infra n. 51.

(4) Eecl. Histor. lib. 4, c. 5.

(5) Tit. Avodà Zarà.

rum etiam ad nostra usque tempora pervenerint. Huic vero Quadrato addi multi alii possunt, qui et philosophi praestantissimi, et omni genere eruditionis imbuti erant, antequam christianam religionem amplecterentur. Horum vero testimonium, licet christiani fuerint, etiam ab incredulis pluris faciendum est, quam si ethnici permansissent. Quandoquidem primo ethnici erant et philosophiae studio diligentissime dediti, postea autem rei veritate convicti, christianam religionem amplexi sunt, et in eius defensionem apologias scripserunt, contrarios errores confutarunt, ac quae ab evangelistis per Christum gesta esse referuntur, firmiter propugnarunt, totamque evangelicam historiam uti divinam et certissimam susceperunt: ergo res, quae in religione christiana proponebantur, prius serio eos expendisse, deinde autem de veritate omnino convictos eisdem assensisse, dicendum est: ergo increduli testimonium horum philosophorum ex gentilitate ad Christum conversorum inde reiicere non possunt, quia christiani fuerunt; quin potius ideo potissimum quia religionem christianam amplexi sunt, ex testimonio eorum de evangelicae historiae veritate manifestius constat.

Praeter ethnicos, etiam IUDAEI testimonium perhibere veritati historiae evangelicae. Nam non solum miracula Christi nunquam negare ausi sunt, sed eadem in libris suis talmudicis (5) aperte confitentur; et Iosephus iudaeus, secta pharisaeus in suis scriptis (6) celeberrimum illud de Christo testimonium (7)

(6) Antiq. Iudaic. l. 18, c. 4.

(7) Hoc testimonium Iosephi ex graeco idiomate, quo originaliter scriptum est, in latinam linguam translatum, ita sonat: « Fuit autem hoc tempore Iesus, vi-

posteritati reliquit, quod quidem a novaturientibus quibusdam intemperantioris criticae scriptoribus, quibus Voltairius quoque hac in re consensit, impugnatum, sed a compluribus eruditissimis viris, Natale Alexandro (1), Billuart (2), Huetio (3) aliisque tanquam authenticum agnitum, et ab adversariorum reflexionibus criticis solide vindicatum est (4).

24. R. III. Haud esset mirandum, si scriptores gentiles nihil gloriosum de Christo scripsissent, cum legis christianae fuerint inimici, et timuerint odium suorum. Vita enim gestaque Christi erant romanis moribus, vitaeque imperatorum aliorumque gentilium mirum quantum contraria, Christieque cultores habebantur sacrilegi, et quasi impii quotidie ultimo supplicio afficiebantur. Quid igitur mirum, si scriptores ethnici partim ex metu, partim ex odio christianae religionis noluisent huius fundamenta (inter quae utique etiam est historia evangelica vitae, gestorumque Christi) futuris temporibus in suis scriptis relinquere? Exemplo sit miraculum coelestis pluviae, quod sub Marco Aurelio divinitus christianis militibus concessum refert Tertullianus (5), quod tamen illustrissimum miraculum quidam gentilium scriptorum in Iulianum Chaldaeum, quidam in Arnuphim philosophum

sapiens, si tamen virum illum oportet dicere. Erat enim mirabilium operum effector, magister hominum, qui vera libenter amplectuntur. Et multos quidem ex iudaeis, multos etiam ex gentilibus ad se pertraxit, eumque eum a primoribus gentis nostrae accusatum Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendo non absterunt, qui ab initio eum dilexerunt. Nam die tertio redivivus eis apparuit; secundum quod divinitus inspirati prophetae haec, aliaeque plurima admiranda de eo praedixerunt. Sed et in hodiernum diem christianorum, qui ab eo nuncupati sunt, et nomen perseverat, et genus.

aegyptium, quidam in Marci Aurelii cum Diis amicitiam, ne christianos eiusdem miraculi impetratores faterentur, retulerunt (6). Praeterea ethnici homines occaecati, mirabilium Christi operum veritatem non intelligebant, sed potius ea illusiones magicas fuisse putantes, non tanti eadem faciebant, ut in historias referenda censerent.

Similiter minime mirandum esset, si scriptores iudaei (qui pauci tunc temporis erant) nihil gloriosum de Christo scripsissent. Timebant nimirum primores suae gentis, qui Christum usque ad mortem fuerant persecuti, et volebant famae nationis suae, quae Christum innocentem, et tot ac tantorum mirabilium operum effectorem occidit, consulere. Ceterum, quod Philonem Alexandrinum, iudaeorum celebrem, et magni nominis scriptorem attinet, is, ut cl. Hermann Goldhagen (7) observat, « rectius in philosophis, quam in historicis est nominandus; pleraque eius scripta sunt philologica aut theologica, ante quam Christi gesta iudaeam impleverant, edita; sunt de argumentis variis non connexis, in quibus historia de Christo aliena fuisset visa. Insuper vitam agebat Alexandriae inter iudaeos... Mirum proinde non est, in scriptis eius desiderari mentionem de Christo et christianis ».

(1) Tom. 2 Histor. eccles. dissert. 10 in 6 mundi aetatem.

(2) Cursus theol. tom. 14, dissert. 2, art. 5 Digression. historic. 1.

(3) Demonstr. evang. prop. 5, n. 41-49.

(4) Vide, ex novissimis, Ghiringhelli, La vita di Gesù Cristo, Torino 1864, tip. P. di G. Marietti, p. 88-105. Nota editoris.

(5) In libello supplicii ad Scapulam Africae provinciae praesidem, cap. 4; item in Apologetico, c. 5.

(6) Vide doctiss. Huetium op. cit. n. 19, ubi de hoc miraculo eruditissime disserit.

(7) Introduct. in s. Script. p. 5, n. 52.

Omnibus ergo perpensis, haud mirandum esset, si scriptores ethnici et iudaei nihil de vita, gestisque mirabilibus Christi Domini scripsissent; quamvis ne hoc quidem adversarii evincere possint, ut supra (1) ostensum est.

25. QUÆRES III. *An demonstrata veritate historice evangelicæ de vita gestisque Christi Domini, pariter demonstrari possit, Christum esse verum Deum?* R. Affirmative. Nam ita argumentor: Christus saepius et palam dixit se esse naturalem (2) Dei filium, ac proinde verum Deum: quod etiam iudaei hostes eius infensissimi eidem non semel exprobrabant, ideoque ei tanquam blasphemo necem inferebant: ergo Christus est verus Deus. ANTECEDENS supposita veritate historice evangelicæ negari non potest. Nam, cum Petrus (3) confessus esset, et ad Christum dixisset: *Tu es Christus filius Dei vivi*, Christus ipse confessionem hanc approbavit, dicens: *Beatus es, Simon Bar-Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi (quod sim Filius Dei vivi), sed Pater meus, qui in coelis est.* Et iterum, dum Caïphas summus sacerdos Christum iam captum interrogasset (4) his verbis: *Tu es Christus Filius Dei benedicti?* optimus Salvator hoc non negavit, sed (5) affirmavit: *Iesus autem dixit illi (sum-*

(1) Vide præcedentem num. 23.

(2) *Filius Dei naturalis* est verbum, seu secunda in SS. Trinitate persona, quæ ratione aeternæ generationis ex Patre est Filius Dei habens eandem naturam per identitatem, quam habet Pater. Filius autem Dei adoptivus est omnis purus homo iustus, seu constitutus in gratia sanctificante, per quam a Deo adoptatur, seu fit Filius Dei adoptivus, et acquirit ius ad hæreditatem coelestem, iuxta I. Ioan. c. 3, v. 1: *Videte, qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, et simus.* Et ad Rom. c. 8, v. 15: *Non enim accepistis spiritum servitutis...*

mo sacerdoti): *Ego sum (Filius Dei benedicti); et videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem cum nubibus caeli.* Neque Iesus hoc dixit eo sensu, quod sit Filius Dei adoptivus, sicut sunt omnes homines iusti; sed quod sit Filius Dei naturalis, adeoque verus Deus; et hoc sensu etiam intellexit Caïphas. Unde statim subiunxit, quod Iesus blasphemaverit (6): *Summus autem sacerdos scindens vestimenta sua, ait: Quid adhuc desideramus testes? audistis blasphemiam: quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis.* Idipsum amplius patet ex evangelio s. Ioannis (7), ubi Christus ait: *Ego, et Pater unum sumus*, nempe non unitate tantum morali, seu concordia voluntatum, sicut sunt homines iusti et sancti per conformitatem suæ voluntatis cum voluntate divina; sed unitate naturæ. Nam, auditis verbis illis Christi, sustulerunt lapides iudaei, ut eum lapidarent tanquam blasphemum: *De bono opere, inquit, non lapidamus te, sed de blasphemia; quia tu, homo cum sis, facis te ipsum Deum* (8). Sed si Christus solum dixisset, se esse Filium Dei adoptivum, sicut est quivis homo iustus, iudaei eum neque tanquam blasphemum lapidare comminati essent, neque dixissent: *Tu, homo cum*

*sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba (Pater).* Et I. Petri, c. 1, v. 3 et 4: *Benedictus Deus... qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam... in hæreditatem incorruptibilem... conservatam in coelis in vobis.* Taceo alios textus, in quibus pariter de filiis Dei adoptivis sermo est.

(3) Matth. c. 16, v. 16 et 17.

(4) Marc. c. 14, v. 61.

(5) Ibidem, v. 62.

(6) Ibidem, v. 65 et 64.

(7) Ioan. c. 10, v. 50.

(8) Ibidem, v. 53.

*sis, facis te ipsum Deum.* Constat id ipsum ulterius ex his, quæ Christus (1) subiunxit: *Vos dicitis: Qui blasphemus: quia dixi, Filius Dei sum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis, quia Pater in me est, et ego in Patre.* Ex quibus verbis aperte constat, Christum Dominum opera miraculosa edidisse, ut comprobaret, se esse Filium Dei naturalem, eiusdemque naturæ cum Patre, quia ob identitatem naturæ verificatur, Patrem esse in Filio, et Filium in Patre per *circumsessionem*, ut theologi loquuntur. Verum de miraculis Christi, quibus suam divinitatem, seque esse Filium Dei naturalem comprobavit, plura inferius (2).

26. Demonstratur iam CONSEQUENS primi enthymematis, quod nimirum Christus hoc ipso, quod se Filium Dei naturalem dixerit, revera talis sit. Si enim se Filium Dei naturalem, adeoque verum Deum dicendo, dixisset falsum, fuisset aut homo insanus et emotæ mentis, aut nequissimus impostor. Probus enim sanaeque mentis homo in eiusmodi gravissimum errorem (quod ipse sit Deus, cum non sit) totum mundum inducere nunquam conabitur: atqui neutrum prudenter suspicari licet, sive quod Christus fuerit homo insanus, sive quod fuerit sceleratus impostor. Ostenditur præsertim supposita, ut iam demonstravimus, veritate historice evangelicæ de vita gestisque Christi Domini, ostenditur, inquam, MINOR QUOAD I. MEMBRUM, QUOD CHRISTUS NON FUERIT HOMO INSANUS ET EMOTÆ MENTIS. Nam (3) annos duodecim

natus cum veteranis iudaeorum doctoribus in templo sapientissimos sermones habuit; ita ut *stupere omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis eius.* Et postea, cum iam evangelium turbis publice prædicaret, *veniens in patriam suam, docebat... in synagogis... ita ut mirarentur, et dicerent: Unde huic sapientia hæc et virtutes? Nonne hic est fabri filius* (4)? Sic etiam cum aliquando quasi in occulto ad scenopægiæ festum in templum ascendisset, *docebat. Et mirabantur iudaei dicentes: Quomodo hic literas scit, cum non didicerit* (5)? Præterea manifestavit secreta, et res cumprimis occultas; quemadmodum prodicionem *Iudæ* (6): *Et edentibus illis (discipulis suis) dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est; item libidinem mulieris samaritanae, quacum colloquium instituit, et quæ ideo eum prophetam (id est, hominem cuius munus est, præsentia etiam et præterita dicere, si occulta sint) nominavit: « Respondit mulier, et dixit: Non habeo virum. Dicit ei Iesus: Bene dixisti, quia non habeo virum: quinque enim viros habuisti; et nunc quem habes, non est tuus vir: hoc vere dixisti. Dicit ei mulier. Video, quia propheta es tu... Reliquit ergo hydriam suam mulier, et abiit in civitatem, et dicit illis hominibus: Venite, et videte hominem, qui dixit mihi omnia quaecumque feci: numquid ipse est Christus, sive Messias?... Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis: quia dixit mihi omnia, quaecumque feci. Cum venissent ergo ad illum samaritani,*

(4) Matth. c. 15, v. 14 et 15.

(5) Ioan. c. 7, v. 15.

(6) Matth. c. 26, v. 21.

(1) Ibidem, v. 56, 57 et 58.

(2) Num. 50, et locis ibi citatis.

(3) Luc. c. 2, v. 46 et 47.